

FRIDERICVS EPISC. ARGENTINENSIS.



Ridericus ex illustri familia baronum à Liechtenberg prognatus fuit. Hic ab ineunte ætate optimis disciplinis operā dedit, & felici in studijs successu magnum sibi nomen comparauit. Hic accedebat amor uirtutis & uitæ integritas. Itaq; Argentinenses canonici eum suum præpositum elegerunt. Cum autem postea Conradus episcopus moreretur ipse in eius locum surrogatus est, anno millesimo ducentesimo nonagesimo nono. Itaque Albertus Cæsar huic ob præclaras uirtutes in comitijs magna solennitate Regalia (ut uocant) concessit. Eo tempore sacerdotes concubinas alere, atque pessimo exemplo scortatores existere. Itaque Fridericus magna poena proposita, meretrices & suspectas mulieres omnibus ademit, & in eo uitio postea deprehensos sua ditione expulit.